

Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris
Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtrum patientia possit haberi sine gratia? 3

urn:nbn:de:hbz:466:1-38803

radix, & custos omnium virtutum, non quasi directe
eas cauando & conseruando, sed solum remouendo
prohibens.

ARTIC. III.

Vtrum patientia possit haberi sine gratia?

670

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod patientia possit haberi sine gratia. Illud enim, ad quod ratio magis inclinat, magis potest implere rationalis creatura. Sed magis est rationabile quod aliquis patiatur mala propter bonum, quam propter malum. Aliqui autem patiuntur mala propter malum ex propria virtute, sine auxilio gratiae. Dicit enim August. in lib. de patientia*, quod multa in laboribus & doloribus sustinent homines propter ea, quae vitiosè diligent. Ergo multo magis homo potest mala sustinere propter bonum, quod est vere patientem esse, præter auxilium gratiae.

* c. 3. ix
prin to. 4

C 2 Præterea, Aliqui non existentes in statu gratiae magis abhorrent mala vitiorum, quam corporalia mala. Vnde quidam gentilium leguntur multa mala tolerasse, ne patriam proderent, aut aliquid aliud dishonestum committerent. Sed hoc est vere patientem esse. Ergo videtur quod patientia possit haberi absque auxilio gratiae.

C 3 Præterea, Manifestè appareret, quod aliqui propter sanitatem corporis recuperandam, grauia quedam & amara patiuntur. Salus autem animæ non est minus appetibilis, quam sanitas corporis. Ergo pari ratione pro salute animæ potest aliquis multa mala sustinere: quod est vere patientem esse, absque auxilio gratiae.

SE D contra est, quod dicitur in Psal. 61. Ab ipso, scilicet Deo, patientia mea.

R E S P O N D E O dicendum, quod sicut August. dicit in lib. de patientia*, Vis desideriorū facit tollerantiam laborum & dolorum; & nemo nisi pro eo, c. 4. circa quod delectat, sponte suscipit ferre quod cruciat. Et fin. to. 4. huius ratio est: quia tristitiam & dolorem, secundum

Sec. Sec. Vol. iij.

1 se

130 QVÆST. CXXXVI. ART. III.

se abhorret animus. Vnde numquam eligeret eam pati propter se, sed solum propter finem. Ergo oportet quod illud bonum, propter quod aliquis vult pati mala, sit magis volitum & amatum, quam illud bonum, cuius priuatio ingerit dolorem, quem patienter toleramus. Quod autem aliquis præferat bonum gratia omnibus naturalibus bonis, ex quorum amissione potest dolor causari, pertinet ad charitatem, quæ diligit Deum super omnia. Vnde manifestum est, quod patientia, secundum quod est virtus, a charitate cauitur: secundum illud 1. ad Cor. 13. Charitas patientis est. Manifestum est autem quod charitas non potest haberi, nisi per gratiam: secundum illud ad Rom. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Vnde patet quod patientia non potest haberi sine auxilio gratiae.

Ad primum ergo dicendum, quod in natura humana, si esset integra, præualerer inclinatio rationis. Sed in natura corrupta præualet inclinatio concupiscentiae, que in homine dominatur. Et ideo prior est homo ad sustinendum mala, in quibus concupiscentia delectatur presentialiter, quam tolerare mala propria bona futura, quæ secundum rationem appetuntur. Quod tamen pertinet ad veram patientiam.

Ad secundum dicendum, quod bonum politicæ virtutis commensuratum est naturæ humanae. Et ideo absque auxilio gratiae gratum facientis potest voluntas humana in illud tendere, licet non absque auxilio gratiae Dei. Sed bonum gratiae est supernaturale. Vnde in illud non potest tendere homo per virtutem suæ naturæ. Et ideo non est similis ratio de patientia.

Ad tertium dicendum, quod tolerantia etiam mortalium, quæ quis sustinet propter corporis fanaticam procedit ex amore, quo homo naturaliter diligit suam carnem. Et ideo non est similis ratio de patientia, quæ procedit ex amore supernaturali.

A R.